

non sunt. Non sunt illi VLPIANI, PAPINIANI, PAVLLI. Sed his utimur, non illis. Leges volo, non doctorum nostrorum auctoritates, quae nihil valent apud me ad persuadendum, nil ad probandum. Sed qui poteris legum auctoritate firmare, quae plane sunt legibus contraria? PAVLLVS enim in sequestre ait *proprie esse depositum* <sup>m)</sup>, et constanter dicitur apud sequestrem *deponi* <sup>n)</sup>, inque sequestrem *depositi actionem* competere, tradit VLPIANVS <sup>o)</sup>. Nusquam vero in libris nostris inuenitur aut mandati aut locationis, aut alius cuiusdam contractus, quo sequestratio perfici posset, mentio facta. Nihil ergo tua contra leges valebit philosophia, et erit sequestratio depositum, quia ita in legibus definitur, nihil aliud, -quidquid tu contra dicas. Audio! Et multa haec sunt et grauer in me dicta. Sed primum non curo iam, quam vere dixeris, nihil apud te valere nostrorum hominum aduersus veterum iureconsultorum auctoritatem. Id ipsum enim non reprehendo, si verum est, sed summopere laudo. Illud autem, quod dicis, contra leges me loqui, an verum sit, vltimus erit indagandum. At PAVLLVS definit, *proprie in sequestre esse depositum*. Recte! sed, vt ne de eo disputem, vtrum vox *proprie* hoc loco idem significet, quod alibi <sup>p)</sup>, ne calumniae causa ex verbis quidquam me quaerere opineris, hoc potissimum tibi respondebo, quod ex THEOPHRASTO

POM-

m) c. *proprie* 6. D. *depositi*.

n) c. *sequester* 110. D. *de V. S. c. licet deponere* 17. D. *depositi*.

o) c. *ei, apud quem* 5. §. *in sequestrem* 1. D. *depositi*.

p) v. c. in c. *sed de pecunia* 2. §. *vn.*

D. *de usufr. ear. rer. quae usu consum.* et in c. *ait praetor* 1. §. *huius edicti* 1. D. *commodati*.

q) c. *iura* 3. D. *de legibus cum sequentibus* 4. 5. 6.